

§. 7. Relig. (quo nullum mendum acutiùs visum malè ait Vinn.) l. 34. §. 4. Jurej. &c.

3. Coronidis loco sit hoc Paradoxon. Computatio graduum Canonica eadem est sum civili, nec ulla ratione differunt. Unde falso sunt Dd. regula. Duos gradus Jure Can. pro uno computari; & tantum personas inter se distare, quantum remotior à communi stipite.

DISSERTATIO TERTIA

DE

COMPUTATIONE
GRADUUM COGNATIONIS

Quà

Naturalis graduum computationis ratio, utriusque Juris, ac divini quoque circa eandem consensus, vulgaris denique sententiæ absurditas novè & evidentè demonstratur;

Respondens

ADOLPHUS HENRICUS LINDE, Westphal. 1672.

I.

Sententia
vulgaris.

Vulgo statuitur duplex cognationis linea: recta & collateralis. In recta, pater & filius, sunt in primo gradu: avus supra, nepos infra in secundo: & ita porro inde ab avo ascendendo, hinc à nepote descendendo, semper novus utrinque additur gradus, quoties nova est generatio, idque utroque jure. In Linea collateralis, si queritur, quot gradibus distent verbi gratia D. & C: jure civili à D. ascendunt usque ad communem stipitem, ubi A, & inde iterum descendunt usque ad C. ubi tres sunt gradus & hos omnes intermedios gradus, qui proinde hiesepem sunt, numerant. Jure vero Canonico in linea inaequali verb. gr. D, & C, numerant quoto gradu remotior, scil. D, distat à stipite communi, & eodem gradu cum dicunt distare à C. & omnibus aliis ex alterà linea: hic ergo omnes erunt eodem gradu, quo D est, scil. quarto. In linea vero equali, ut D & d. quoto gradu alteruter distat à communi stipite, eodem gradu quoque inter se distant, uti, cum D distat quarto gradu à stipite, eodem etiam distabit à d. & ita hic duo erunt gradus pro uno. Quanta autem sit absurditas computationis Canonica ita explicata omnes vulgo fatentur & conqueruntur, ut non opus sit illud ostendere. In reliquis qua sint vitia patebit ex demonstratione sententiæ verae.

Vera sen-
tentia De-
ancto.

2. Familiæ institutio à natura est, indeque Juris Naturalis: voluntas enim summi rerum auctoris & arbitri (quæ sola jus Naturæ constituit) non